



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117816**

§. 11. Decretales ad Nicetam & Neonam datæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](#)

Sæculum V. eos ad Pænitentiam redire viderimus, lice.  
A. C. 458. bit nobis pro eis Deum precibus pulsare,  
ne æternum pereant. Haud multo post,  
ep. 134. nempe 20. Aug. Imperatori misit differ-  
al. 97. tationem de Fide ampliorem, quam pro-  
 miserat; in ea Mysterium Incarnationis,  
 & Redemptionis tractat, & errores Ne-  
 storii, & Eutychis ea ferme methodo,  
 qua in epistola sua ad Flavianum, refel-  
 lit, vim argumentorum præprimis in eo  
 ponens, necessarium esse credere, JESUM  
 Christum veram carnem, qualis nostra  
 est, assumpsisse. Huic epistolæ excerpta  
 ex Latinis, & Græcis Patribus, scilicet  
 S. Hilario, S. Athanasio, S. Ambrosio,  
 S. Augustino, S. Joanne Chrysostomo,  
 Theophilo Alexandrino, S. Gregorio Na-  
 zianzeno, S. Basilio, & S. Cyrillo Alexan-  
 drino adjunxit.

## §. XI.

*Decretales ad Nicetam, & Neonam  
datæ.*

A quileja inter urbes Italiæ potentissima,  
 ab Attila, illam orbis partem deva-  
 stante, capta fuerat, & direpta. Multi  
 in captivitatem abstracti; quorum aliqui  
 Idolothyta manducaverant, aut passi fue-  
 runt, ut rebaptizarentur; alii e captivi-  
 tate reduces mirabantur, uxores suas aliis  
 viris nupsisse. Nicetas Episcopus Aqui-  
 leiensis super his quæstionibus S. Leonem  
 consu-

consuluit, cui S. Leo data epistola De-Sæculum V.  
cretali 21. Martii, Majoriano Consule, id A.C. 458.  
est, anno 458. respondit. Quod tangit <sup>ep. 129.</sup>  
mulieres, quæ ad secundas nuptias con- <sup>al. 79.</sup>  
volarunt, quod crederent, maritos suos  
fuisse occisos, aut nunquam reddituros,  
S. Leo decernit, si mariti redierint, uxo-  
res eorum teneri, ut denuo iisdem jun-  
gantur, sub pœna Excommunicationis,  
quia primum matrimonium semper va-  
luit, et si maritus secundus excusari pos-  
sit. Quos dira fames, aut vitæ amor ad  
manducandas carnes immolatas compu-  
lit, agant pœnitentiam, quæ vero magis  
ex doloris vehementia, quam temporis  
spatio æstimetur. Qui metu, aut erro-  
re rebaptizari sustinuerunt, ignorantes  
id lege prohiberi, his injungatur Pœni-  
tentia, atque manuum Episcopi imposi-  
tione reconciliabuntur; de tempore Pœ-  
nitentiæ demetur, quantum videbitur,  
si pœnitentes Senectus, morbus, vel  
quocunque aliud periculum premat.  
Qui semel baptizati fuerunt, sed ab Hæ-  
reticis, solummodo impositione manuum,  
cum invocatione Spiritus Sancti confir-  
mentur, ut Sanctificationem accipient,  
quam Hæretici non dant. (\*) Ceterum

Ccc 5 S. Leo

c. 5.

c. 7.

(\*) Nihil frequentius occurrit, ubi Sermo de  
Disciplina Ecclesiæ est, quam mentio de Manuum  
Impositione: at non semper satis perspicuum,  
quid

Sæculum V. S. Leo Nicetæ præcipit, hanc epistolam  
A.C. 458. omnibus illius Provinciæ Episcopis com-  
municari, ut unam Disciplinam omnes  
observent.

Ad eundem annum, sub Majoriani  
ep. 135. al. Consulatu referenda est S. Leonis episto-  
la Decretalis ad Neonam, Episcopum Ra-  
vennatensem data; hæc est Concilii acti  
conclusio, in qua SS. Pontifex ex omnium

De Baptis. Sententia decidit, ut illi, qui ante at-  
mo. tem rationis capacem in captivitatem  
abducti fuerint, nec ulla ipsis memoria  
sit, an Sacro Baptismate fuerint abluti,

solerter

quid sub his vocibus intelligendum. In priori  
casu SS. Pontifex loqui videtur de Publica Re-  
conciliatione pœnitentium, quibus etiam Episco-  
pus manus imponebat, & hæc Impositio non erat  
Sacramentum. In isto Casu S. Leo per Im-  
positionem manuum cum Invocatione Spiritus San-  
cti Sacramentum Confirmationis haud dubie in-  
dicat, quia addit: confirmantur, ut Sanctificatio-  
nem accipiant, quam Hæretici non dant. Hæc  
de Baptismi Gratia, quæ Sacramentum in peccato  
receptum post tempus remoto obstaculo subse-  
quitur, vix accipi possunt, nam Adultus, ab Ha-  
reticis baptizatus, potuit esse in bona Fide, & in-  
fans certe fuit. Hunc S. Leonis Textum in Sa-  
cramento Confirmationis explicat Cardinalis Go-  
ti in sua Theologia Scholastico-Dogmatica Tract.  
VI. de Sacram. Confirmat. S. Leonis verba in  
Editione Lugdunensi anni 1700. ita sonant:

solerter examinentur, an nullum ex ipsis, Sæculum V.  
 aut ex aliis testibus elici possit Baptismi A. C. 458.  
 accepti indicium. Si autem nullum in-  
 veniatur vestigium, confidenter bapti-  
 zentur, & rebaptizandi periculum non  
 timeatur, ne forte ob inanem scrupulum  
 perire sinantur. Nulla hic adhucdum  
 de Baptismo sub conditione conferendo  
 quæstio. (\*)

S. Leo-

de quoniam quolibet modo formam Baptismatis  
 acceperunt, baptizandi non sunt, sed per manus  
 impositionem, invocata virtute Spiritus Sancti,  
 quam ab Hæreticis accipere non potuerunt, Ca-  
 tholicis copulandi sunt. Interim non satis li-  
 quer, utrum Hæretici Sacramentum Confirmatio-  
 nis conferre non solerent, vel utrum valide ad-  
 ministrare non possent? Si quis dicat: non sole-  
 bant Baptizatos confirmare Hæretici, obstat,  
 quod Hæresis semper fuerit veræ Ecclesiæ simia,  
 Catholicorum Ritus imitari adsueverit. Si quis  
 putet, Hæreticos attentasse quidem Confirmatio-  
 nem conferre, sed valide non potuisse; quære-  
 re lubet, cur non valide? certe Confirmatio ab  
 Episcopis conferebatur, & erat Actus Ordinis; er-  
 go sicut Episcopus in Hæresin lapsus valide Cleri-  
 cos ordinare potest, ita etiam Fideles valide con-  
 firmare. Digna amplissima Dissertatione Ma-  
 teria!

(\*) In nostris Partibus hodie, si obstetrix  
 Parocho parvulum afferat, quem a se periculi in-  
 instantis causa baptizatum affirmat, semper sub con-  
 ditione baptizatar, etiamsi vix dubio locus esse  
 possit,

Sæculum V. S. Leonem præcepisse legimus, ne Vir-  
 A. C. 458. gines Benedictionem solemnem cum ve-  
Lib. Pontif. lo acciperent, antequam per annos qua-  
 draginta virtutis argumenta dedissent; hinc pronum est credere, suadente S. Leo-  
 ne factum, ut Imperator Majorianus Le-  
 gem conderet, Parentibus prohibentem,  
Nov. Major. ne filias suas Deo se consecrare cogerent.  
tit. 8. Vatabatur, ne puellæ contra earum vo-  
 luntatem a parentibus oblatæ, ante an-  
 num quadragesimum velamen accip-  
 rent, & libertas siebat, ut usque ad illam  
 ætatem nuptias inire liceret. Eadem Le-  
 ge severe reprehenduntur viduæ, quæ si  
 nullam prolem haberent, non amore con-  
 tinentiæ, sed Licentiæ pudendæ cupid-  
 itate a secundis Nuptiis abhorrebant. Lex  
 ista Ravennæ 26. Octobr. anno 458, da-  
 ta est.

## §. XII.

### *Metropolitarum Responsa.*

*Marc. Chr.* Metropolitæ Orientis, quos Leo Impe-  
 an. 458. to. 4. rator de Auctoritate Concilii Calce-  
 Conc. p. 902. donensis, & Timothei Eluri ordinatione  
 ad 975. consu-

possit, quin sit rite baptizatus, si id affirmet mulier,  
 alias prudens, edoceta, & ad id ipsum sua condi-  
 tione delecta, præsertim si alii, fide digni, vidisse  
 se natam prolem baptizantem testentur. Certe in  
 Rituali tantum tunc sub conditione infans bapti-  
 zari præcipitur, si de Baptismi valore dubitan-  
 di causa sit.